



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica
Recapitvatio**

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Die vigesima sexta Maij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Die vigesima sexta Maij.

De sancto Simetrio martyre.

Ex historia, quam nobis à Malmundariensibus de-
tulit R. P. Ioannes Harlemissus, Societatis Iesu.

Romæ, sanctorum martyrum **SIMETRII** presbyteri & aliorum viginti duorum. Cùm enim in titulo, quem Pius papa construxerat apud Praxedem latitaret, & diuina mysteria celebraret, Antoninus Augustus eos absque vlla interrogatione gladio puniri præcepit in eodem titulo. Quorum corpora Praxedis collegit, & sepeliuit septimo Calendas Iunij. Ladernacensis ecclesiæ historia addit eum in infantia à beato Materno esse resuscitatum, eaqué occasione Albanam eius matrem, cum prole, fidei sacramenta suscepisse: eiique nomen dedisse Simetrium sextum Comitem de Salmis, apud Tungros, quem paulo ante sanctus Maternus baptizauerat. Cæterum sanctus Babolenus, qui Remaclo successit, corpus martyris è Roma Stabuletum attulit, & in primaria monasterij hæreditate, villa de *Lierneur*, siue *Ladernaco*, congruo honore collocauit. Fuitque decreatum, vt prædicta villa se filiam Stabulensis ecclesie recognosceret sub censu vnius ¹ esterlini, ex qualibet domo persoluendi: & vt sarcophagum martyris annuè nona die Maij, Stabuletum cum hymnis & processione in indicium filialis subiectioonis deferrent.

Fit autem mentio loci & martyris in libro secundo miraculorum Reinacli, qui Nodgeri est, Leo-
diensis episcopi. *Fiscus*, inquit, *Ledernaus nostro
monasterio*

Maij. 27.

N A T A L E S

monasterio addictus est: In eo ecclesia est s. simetrii, & aliorum, virtutibus illustris.
a Est Vigesima pars unciae.

Vigesima septima Maij.

1º. De sancto Ragnulpho martyre.

Ex monumentis Atrebatum, & informatione R. Domini Ioannis Saraceni, Prioris Vedastensis.

*al. pago
Atrebatensis

IN *territorio Adartensi, sancti RAGNULPHI martyris. Qui pater (ut fertur) sancti Hadulphi episcopi Atrebatensis, ab Uſiardo notatur sexto Calendas Iunij. Quibus Calendis Atrebatenſe sancti Vedasti monasterium, in quo requiescit, memoriam eius celebrat duodecim lectionibus, sed de communi summis. Constat autem eum passum esse in Telu, villa sancti Vedasti, quæ Latinè dicitur Teliodium. Cæterum in diœcesis Atrebatensis Breuiario, ponitur quinto Iduum Nouembris. E quibus colligo ab Uſiardo notatum esse diem natalitium: diœcesim tamen natale in celebrare in die eleuati corporis. Nam id alias saepe uſu venit. Ad miracula vero huius martyris referri video, quod ad Gerardum primum Chronographus Cameracensis scripsit. Hunaldo defuncto, Hadulphus eligitur, quem afferunt quidam filium fuisse sancti Ragnulphi martyris. De quo, (beatum Ragnulphum intelligunt) hi qui nostis superfuere temporibus fideles, testati sunt multa ad sepulcrum eius vidisse miracula.

a Confer Maij 12, 2º. paulo post initium.

b Chronicum Cameracense lib. 1. c. 113. Tiliodium.

c Baldericus Noviom. & Tornac. epis. lib. 1. c. 34.

2. De